

diensem euocando, et Professioni Historiarum et Iuris Publici praeficiendo fuit cogitatum. Et ea res faustum obtinuit exitum. Sub ipsum aduentum non modo laetiori stipendio exhilaratus, sed et titulo consiliarii aulici a Serenissimo Duce Brunsvicensi condecoratus fuit. Habita de famosa articuli IV. Pacis Ryswicensis clausula oratione in Senatum Academicum fuit introductus. Quum vero b. KIP-PINGIVS olim se totum studio iuris mancipasset, mirandum non est, eum ordini Iureconsultorum Anno MDCCXL. fuisse adscriptum. Anno MDCCXLI. quartam Professionem iuridicam obtinuit, ideoque plene in Facultatem receptus iisque associatus fuit, qui de iure respondent. Decanatum Facultatis suae Anno MDCCXLIV. Prorektoratum vero Anno MDCCXLVI. gessit, quem eleganti oratione de *diui Iulii pietate pressa non oppressa* auspicatus est. Sed poenituisset virum, non sibi, non suo tempori natum, operis et industriae, si modo incorrupta aequitate leges contra temerarios vindicasset, et vtriusque iuris purissimos latices propinasset studiosis, aut ambiguas litigantium caussas voce sua diremisset, et non etiam posteris ingenii sui monumentis prodesse conatus esset. Quare, quicquid temporis vacui et subsecui ipsi res publicae relinquenter, id omne ad illa studia, quae iuuenis ex summorum virorum disciplina arripuerat, recolenda conferebat, et cum non aliud argumentum, in quo curram et industriam suam maiori cum fructu collocaret, cerneret, quam quod ius ecclesiasticum describeret, quia et uberrimum et maximis difficultatibus et controuersiis expositum perspexerat, ad illud exornandum omnes ingenii vires conferre decernebat. Animaduertebat Vir beatus, plurimos nescire, in quo consistat ius ecclesiasticum recte constituendum. Sic falsa ex ipsius mente sunt principia Iuris ecclesiastici: ambitum huius iuris solis externi cultus diuini terminis circumscribi, et ideo ad internum